An. et vol. XXXXIII 31 Martii 1951 (Ser. II, v. XVIII) - N. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Constitutiones Apostolicae, p. 145 - Litterae Apostolicae, p. 156 - Epistula, p. 164 - Allocutiones, p. 165 - Nuntius radiophonicus, p. 170.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: I. Declaratio, p. 173 - II. Provisio Ecclesiarum, p. 174 - *S. C. pro Ecclesia Orientali*: Decretum, p. 176 - *S. C. Concilii*: Resolutio dubii, p. 177 - *S. C. Rituum*: Decretum de miraculis pro beatificatione S. D. Iuliani Maunoir, p. 178.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota*: Citatio edictalis, p. 181.

Diarium Romanae Curiae: Udienza solenne - S. C. dei Riti: Congregazioni varie - Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze - Necrologio, pp. 184-192.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M·DCCCC·LI

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 800 — extra Italiam, Lib. 2000 vel $ 4

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 75 — extra Italiam, Lib. 180 vel $ 0,25

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

An. et vol. XXXXIII 31 Martii 1951 (Ser. II, v. XVIII) – N. 4

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DE PINGLIANG
(PIMLIAMENSIS)

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE PINGLIANG IN DIOECESIM ERIGITUR, PIMLIAMENSEM NOMINE.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Indefesso constantique Evangelii Praeconum labore talia in Praefectura Apostolica de Pingliang in Sinis quoad catholicam religionem et missionalia opera, Deo favente, suscepta sunt incrementa, ut digna Praefectura illa aestimata sit, quae ad dioecesis gradum et dignitatem extolli queat. Venerabiles itaque Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Sacro Consilio a Fide Propaganda praepositi, attento venerabilis Fratris Antonii Riberi, Archiepiscopi titularis Darensis, in Sinis Internuntii Apostolici, favorabili voto, peculiaribus utentes facultatibus, sibi a Nobis concessis et per totum hunc iubilarem annum valituris, omnibus mature perpensis, annuendum esse censuerunt enixis dilecti filii Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, cuius sodalibus Praefectura illa concredita est, precibus, quibus petebatur praelaudatae Praefecturae de Pingliang in dioecesim erectio. In generalibus igitur comitiis die decima nona huius mensis habitis Praefecturam Apo-

stolicam de Pingliang, iisdem ac antea servatis finibus, in dioecesim evexerunt, ab ipsa urbe principe vulgo *Pingliang,* Pimliamensis nomine appellandam, atque curis servandam Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum sodalium, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum. Novam hanc dioecesim suffraganeam constituerunt metropolitanae Ecclesiae Lanceuvensi; Episcopi vero sedem in eadem urbe principe vulgo *Pingliang* fixerunt, quae proinde ad civitatis episcopalis gradum evehitur; Antistitis autem cathedram in ecclesia inibi exstante collocaverunt, interim procathedralis munere fungente. Indulserunt insuper, attentis locorum et huius temporis adiunctis, ut pro Canonicorum Capitulo dioecesani consultores ad iuris tramitem eligantur et adhibeantur. Ad novae porro dioecesis stabilitatem tuto firmiterque procurandam ut parvum saltem seminarium pro iuvenibus in spem Ecclesiae instituendis quamprimum erigatur et continuo habeatur praeceperunt. Episcopalem mensam constituent, praeter fidelium oblationes et Curiae emolumenta, bona omnia quae usque nunc ad Praefecturam pertinebant. Nos vero omnia, uti supra a S. Congregatione de Propaganda Fide statuta et decreta, auctoritate Nostra apostolica rata habemus et confirmamus ac proinde novam dioecesim Pimliamensem harum Litterarum vi erectam et constitutam decernimus et declaramus. Novae igitur huic Cathedrali Ecclesiae eiusque pro tempore Episcopis Pimliamensibus omnia tribuimus iura, privilegia, honores, insignia et gratias, quibus ceterae cathedrales Ecclesiae earumque Antistites iure communi fruuntur, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri obstringuntur. Quod autem attinet ad eiusdem dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Ad omnia autem quae hisce Litteris disposita et constituta sunt exsecutioni mandanda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem in Sinis Internuntium Apostolicum, vel eum qui in exsecutionis actu Internuntiaturae praesit, deputamus eique necessarias et opportunas tribuimus facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus imponimus authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar ad S. Congregationem de Propaganda Fide quam primum transmittendi. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides quae hisce praesentibus ostensis haberetur. Praesentes vero Litteras firmas, validas et

efficaces fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Nemini ergo hanc paginam evectionis, erectionis, constitutionis, subiectionis, confirmationis, concessionis, delegationis, derogationis, et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die vicesima quarta Iunii mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus

Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXX, n. 30. – Al. Trussardi.

II

CHANGANACHERENSIS (PALAIENSIS)

A CHANGANACHERENSIS DIOECESIS RITUS SYRO-MALABARICI TERRITORIO PARS SEIUNGITUR, QUAE IN NOVAM DIOECESIM, PALAIENSEM NOMINE, ERIGITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo Ecclesiarum circumscriptiones christifidelium necessitatibus eorumque maiori spirituali bono aptius respondeant, convenit ut ex avulso ab amplioribus dioecesibus territorio novae erigantur cathedrales Ecclesiae, aliorum vigilantium Pastorum regimini tradendae. Quod quidem perpendentes venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Sacrae Congregationi pro Ecclesia Orientali praepositi, considerantes Changanacherensem dioecesim syro-malabaricam, quae, ex quo fel. rec. Pius

Undecimus, Antecessor Noster, optime Fidelium Syro-Malabarensium regimini consulens, Apostolicis sub plumbo Litteris *Romani Pontifices*, die vicesima prima Decembris mensis, anno millesimo nongentesimo vicesimo tertio datis, ad Ecclesiae Cathedralis gradum et dignitatem evexit, praeclaros, quoad praecipue sacerdotum utriusque cleri et ecclesiarum numerum atque ecclesiasticarum institutionum momentum, assecuta est progressus, tam territorii amplitudine et fidelium frequentia redundare, ut ab uno vel vigilantissimo Praesule vix regi queat, favorabilibus exceptis votis venerabilis Fratris Leonis Petri Kierkels, Archiepiscopi titularis Salaminensis et in India Internuntii Apostolici, memoratae Changanacherensis dioecesis territorium dismenbrare censuerunt et avulsam partem in novam erigere dioecesim, alterius sollertis Pastoris curis concredendam. Nos vero, audito venerabili Fratre S. Congregationis pro Ecclesia Orientali Adsessore, omnibus mature perpensis ac suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a dioecesi Changanacherensi territorium seiungimus, quinque vicariatus foraneos complectens, videlicet: *Palai, Muttuchira, Kuravilangatt, Anacallu* et *Ramapuram;* quod quidem territorium in novam erigimus et constituimus dioecesim, cui nomen erit *Palaiensis*, et fines iidem erunt ac limites dictorum vicariatuum; eam autem suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Ernakulamensi eiusque pro tempore Episcopi metropolitico Archiepiscopi Ernakulamensis iuri subiicientur. Novae huius dioecesis episcopalem sedem in *Palai* urbe figimus, quam proinde ad episcopalis sedis gradum evehimus; Episcopi vero cathedram in templo, Deo in honorem S. Thomae Apostoli dicata, in eadem urbe exstante, figimus, titulo interim pro-cathedrali, donec aliter provideatur. Cathedrali huic Ecclesiae et pro tempore Episcopis Palaiensibus omnia tribuimus iura, privilegia, honores, insignia et gratias, quibus ceterae cathedrales Ecclesiae earumque Antistites fruuntur; eosque iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur, iuxta iuris communis praescripta et legitimas Ecclesiae Syro-Malabaricae consuetudines. Mensae porro episcopalis dotem constituent tum temporalia bona dioecesana, quae aequo iure suae cuique dioecesi tribuentur, tum oblationes quae a fidelibus, in quorum bonum dioecesis erecta est, praeberi solent nec non Curiae episcopalis emolumenta.

Quod autem ad clericos, fideles et catholici nominis res, intra novae dioecesis fines extantes, spectat, decernimus ut simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, die, mense et anno districte definitis, eo ipso sub Ordinarii Palaiensis iurisdictione tam in spiritua-

libus quam in temporalibus legitime maneant; et, quod ad clerum peculariter spectat, clerici eo ipso Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt. Quod autem attinet ad novae huius dioecesis regimen et administrationem, ad Administratoris, sede vacante, electionem, ad iuvenum, qui in sortem Domini vocati sint, institutionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones et legitimae consuetudines Ecclesiae Syro-Malabaricae statuunt ac praescribunt. Ad quae omnia, uti supra disposita et constituta, exsecutioni mandanda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem in India Internuntium Apostolicum, vel eum, qui Apostolicae Internuntiaturae exsecutionis tempore praesit, deputamus eique necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus facimus authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali quamprimum transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, vel excerptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario

attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum ex Arce Gandulphi, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die vicesima quinta Iulii mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus

EUGENIUS Card. TISSERANT
S. C. pro Eccl. Orient. a Secretis

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXX, n. 9. – A. Liberati.

III

KAOHSUNGENSIS
(TAICHUNGENSIS)

A PRAEFECTURAE APOSTOLICAE KAOHSUNGENSIS TERRITORIO PARS SEIUNGITUR, QUAE IN NOVAM PRAEFECTURAM APOSTOLICAM, TAICHUNGENSEM NOMINE, ERIGITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ut catholicae fidei in Insula Formosa prolatandae facilius et fructuosius prospici possit, perutile visum est Praefecturam Apostolicam Kaohsungensem, iampridem Insulae Formosae nuncupatam, iamque Litteris Apostolicis a Nobis die triginta Decembris mensis superiore anno datis territorio imminutam ad novam Praefecturam Apostolicam Taipehensem erigendam, iterum dismembrare aliamque Praefecturam constituere aliis Evangelii Praeconibus concredendam. Venerabiles itaque Fratres Nostri Sacro Consilio Christiano Nomini Propagando praepositi, attento favorabili voto venerabilis Fratris Antonii Riberi, Archiepiscopi titularis Darensis et in Sinis Internuntii Apostolici, facultate utentes sibi a Nobis per totum hunc iubilarem annum concessa, a Praefectura illa Apostolica Kaohsungensi civilem provinciam *Taichungensem* distrahere et hanc in novam erigere Praefecturam Apostolicam, Tai-

chungensem nomine, erigendam decreverunt, et dilectis Filiis Societatis de Maryknoll pro Missionibus exteris concredendam. Quam Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, Nobis a dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinale eiusdem S. Congregationis Praefecto hac ipsa die relatam, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine ratam habentes, harum Litterarum vi confirmamus et idcirco Praefecturam Apostolicam uti supra erectam et constitutam declaramus et decernimus, eamque praefatae Societatis de Maryknoll sodalibus, ad Apostolicae tamen Sedis beneplacitum, concredimus. Novae autem huic Praefecturae Apostolicae Taichungensi et eius Praefectis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceterae Praefecturae Apostolicae earumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent; hosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia, uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, confirmationis, commissionis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum ex Arce Gandulphi, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die decima Augusti mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Vincentius Bianchi Cagliesi, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXX, n. 22. – A. Liberati.

IV

ZAMBOANGENSIS
(COTABATENSIS ET SULUEŃSIS)

DIOECESIS ZAMBOANGENSIS TERRITORIUM DISMEMBRATUR ET NOVA ERIGITUR PRAELATURA « NULLIUS », COTABATENSIS ET SULUENSIS NUNCUPANDA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quidquid in christifidelium bonum et ad eorum regimen facilius reddendum cedere valeat, Apostolica Sedes praestare suescit, ecclesiasticas circumscriptiones iuxta locorum adiuncta aliquando immutando. De venerabilium itaque Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi Consistoriali praepositorum consilio, lubenti animo annuendum censuimus venerabilis Fratris Aegidii Vagnozzi, Archiepiscopi titularis Myrensis et in Insulis Philippinis Delegati Apostolici, precibus, quibus postulavit ut a Zamboangensis dioecesis territorio civiles provincias *Catabato* et *Sulù* seiungantur ad novam ibi Praelaturam *nullius dioeceseos* erigendam. Nos igitur, praehabito favorabili voto venerabilis Fratris Aloisii Del Rosario, hodierni Episcopi Zamboangensis, ac suppleto, quatenus opus sit, aliorum quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a praefatae dioecesis Zamboangensis territorio provincias civiles *Cotabato* et *Sulù* distrahimus harumque territorium in Praelaturam *nullius, Cotabatensem* et *Suluensem* appellandam, erigimus et constituimus, limitibus circumscriptam, prout nunc limitibus exstant circumscriptae civiles provinciae illae *Cotabato* et *Sulù*. Novae huius Praelaturae *nullius* sedem in urbe vulgo *Cotabato* constituimus, et templum, in honorem Conceptionis Immaculatae B. V. M. ibi exstans Deo dicatum, ad ecclesiae praelatitiae gradum et dignitatem evehimus et illi ac pro tempore Praesulibus Cotabatensibus et Suluensibus, iura omnia tribuimus, honores, insignia et privilegia, quibus ceterae per orbem praelatitiae ecclesiae et earum Antistites iure communi fruuntur et gaudent, et cum omnibus oneribus et obligationibus iisdem adnexis. Hanc autem Praelaturam Cotabatensem et Suluensem suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Nominis Iesu seu Caebuanae, eiusque pro tempore Praelatos metropolitico iuri Archiepiscopi Nominis Iesu

subiicimus. Iubemus insuper ut ad clerum indigenam efformandum seminarium saltem minus quamprimum erigatur, ex quo electi iuvenes ad Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum de Urbe mittantur, in spem Ecclesiae sub fere Romani Pontificis oculis instituendi. Quum autem praesentis temporis adiuncta haud permittant quominus in hac nova Praelatura canonicorum capitulum constituatur, indulgemus ut interim pro canonicis dioecesani consultores ad iuris tramitem eligantur et adhibeantur. Quod vero attinet ad Praelaturae regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris Apostolici, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera, rite servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Quod vero ad clerum peculiariter spectat, statuimus ut simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt. Mensam insuper praelatitiam constituent Curiae emolumenta et fidelium oblationes, in quorum bonum Praelatura ipsa erecta est, servato tamen iuris canonici canone 1500 quoad bonorum et fundationum divisionem ad totam dioecesim modo pertinentium. Omnia porro documenta et acta quae novam respiciunt Praelaturam eiusque clericos et fideles ad istius Curiam, in proprio archivo asservanda, ab episcopali Curia Zamboangensi transmittantur. Ad quae omnia uti supra disposita et constituta perficienda quem supra memoravimus venerabilem Fratrem Delegatum Apostolicum in Insulis Philippinis, vel eum qui in exsecutionis actu Delegationi illi praesit, deputamus et ipsi necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus imponimus ad S. Congregationem Consistorialem quam primum transmittendi authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali ex inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit,

regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, vel excerptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum ex Arce Gandulphi, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die undecima Augusti mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXX, n. 35. – Al. Trussardi.

V

SIONENSIS

EPISCOPALIS ECCLESIA TITULO SIONENSIS AD ARCHIEPISCOPALIS DIGNITATIS GRADUM EXTOLLITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Unius tantum Romani Pontificis est ad potioris dignitatis gradum quamlibet extollere Ecclesiam, si peculiaris opportunitatis ratio rerumque adiuncta id exigere censeantur. Cum itaque Apostolica Sedes epi-

scopalem Ecclesiam titulo Sionensem, metropolitanae Ecclesiae titulo Ephesinae hucusque suffraganeam, Hispanici Exercitus Vicario Generali, pro tempore constituto, iam diu conferre consueverit, cumque hoc anno, die quinta Augusti mensis, Conventione inter Sanctam Sedem et Hispanicum Gubernium inita, Nos statuerimus ut memoratus Vicarius Generalis Castrensis archiepiscopali titulo ac dignitate posthac hornari queat et debeat, Nos, illam consuetudinem servandi causa, de venerabili Fratris Nostri S. R. E. Cardinalis Sacrae Congregationis Consistorialis a Secretis consulto, episcopalem, quam supra memoravimus, Ecclesiam titulo Sionensem, suprema apostolica Nostra auctoritate, ad gradum et dignitatem archiepiscopalem in perpetuum evehimus, ac proinde eam iam non suffraganeam esse metropolitanae Ecclesiae titulo Ephesinae decernimus ac declaramus. Ecclesiae igitur illi archiepiscopali titulo Sionensi eiusque pro tempore Archiepiscopis omnia tribuimus iura et privilegia, quae, secundum iuris communis normam, ad Ecclesias archiepiscopales earumque Antistites spectant. Haec vero statuimus decernentes has Litteras Nostras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent nunc et in posterum plenissime suffragari. Volumus autem ut harum Litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae primo huic exemplo adhiberetur ostenso. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam provectionis, declarationis, concessionis, decreti et voluntatis Nostrae infringere vel ei ausu temerario contraire: si quis autem id attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo, die duodecima Decembris mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis

† Alfonsus Carinci, Archiep. Tit. Seleuc., *Dec. Proton. Apost.*
Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXX, n. 57. – Al Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

BEATA MARIA VIRGO « A MIRACULIS », IN AEDE LOCI « CASALBORDINO » VENERATA, TOTIUS THEATINAE ARCHIDIOECESIS PRAECIPUA PATRONA CONSTITUITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Mirum sane quot Templa Marialia Itala tellus, virtutis rectique cultus praecipua altrix, arcana quadam fecunditate quasi procreaverit, quae quidem populus Dei turmatim soleat frequentare. In his aliquem obtinet numerum Ecclesia, prope municipium « Casalbordino » in finibus Vastensis dioeceseos exstans, in qua Imago Beatae Mariae Virginis, ob singularium gratiarum largitionem nomine adiecto « a Miraculis », summa cum piorum alacritate celebratur. Quin quattuor abhinc saecula tantopere percrebuit ut universam Citerioris Aprutii ac Samnii regionem quasi radians pharus collustraret, mortales, in huius vitae tenebroso pelago laborantes, dirigens in amicum placidumque portum salutis. Quo ergo cultus huiusce Simulacri, quod Capitulum Vaticanum die XI mensis Iunii, anno MDCCCXCIX, inter Christifidelium acclamantium vota, aurea corona voluit redimitum, maiores pietatis spiritualisque solacii fructus eliceret, atque latius propagaretur, Venerabilis Frater Ioannes Baptista Bosio, Archiepiscopus Theatinus, Canonicorum Collegio suffragante, preces ad Nos admovit ut Beatissimam Virginem Mariam « a Miraculis », in Ecclesia, quam diximus, pia celebritate excultam, totius Theatinae Archidioeceseos Caelestem apud Deum Patronam renuntiare benigne dignaremur. Nos vero, a puero in Almae Deiparae peculiarem assueti amorem, quo Eiusdem opiferae Dei Matris religioni ampliorem panderemus viam, huiusmodi supplicationes libenter et ultro statuimus audire. Quocirca, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, omnibus rei momentis perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Beatissimam Virginem Mariam « a Miraculis », in Aede loci « Casalbordino » maxime veneratam, totius Theatinae Archidioeceseos Praecipuam apud Deum Caelestem *Patronam* constituimus ac declaramus, omnibus adiectis honoribus et privilegiis liturgicis, quae principalibus regionum Patronis rite competunt, additaque facultate adhibendi pro die festo celebrando Officium et Missam Beatae Mariae Virginis Omnium Gratiarum Mediatricis cum Evangelio sumpto ex Ioan. II, 1-11 : « Nuptiae factae sunt... ». Contrariis quibus-

vis minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die XXXI mensis Iulii, anno MCML, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis
GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis.

II

ECCLESIA « CORPUS DOMINI » APPELLATA, IN URBE ET ARCHIDIOECESI MEDIOLANENSI, BASILICIS MINORIBUS ACCENSETUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quamvis Augustum Sacramentum, de quo ait Sanctus Hieronymus: « haec mensa animae vis est, nervi mentis, fiduciae vinculum, fundamentum, spes, salus, lux, vita nostra », omnium fere Ecclesiarum haud perperam inenarrabilis habeatur thesaurus, quaedam tamen, tanti Mysterii nomine dedicatae, ad excolendum Deum, panis sub specie velatum, peculiarem praebent causam et invitamentum. In quibus aliquem obtinet numerum Templum Mediolanense, quod, « Corpus Domini » nuncupatum, apud eius urbis incolas religiosissimum est ac celeberrimum. Exinde enim cultus Sanctissimae Eucharistiae, quasi e radiante pharo elucens, latius est diffusus atque in Christifidelium animis insedit penitus altius. Profecto ea ipsa Aedes « Cenaculum Magnum » non inepte dicitur, quando in hac rutila aula a religionis Eucharisticae fautoribus per temporis intervalla sollemnes aguntur conventus. Ibi praeterea sedes constituta est Archiconfraternitatis, quae, septies centenis milibus amplius sodalium frequens, pietatem in caeleste hoc munus studiose persequitur, et a compluribus Summis Pontificibus, Decessoribus Nostris, confirmata est atque humaniter provecta. Insuper Fratres Carmelitae Excalceati, quibus credita est Ecclesia, non pauci in eius officiis ita versantur ut eiusdem

decori ac sanctitati consultum sit affluenter. Proinde maxima vis Christifidelium ad divinas epulas delibandas eo solet adventare neque resedit umquam pia alacritas eorum neque restincta est probata voluntas. At, novissimo bello perfurente, nobile hoc Templum, plumbo et igne impetitum, misere disiectum est atque ex parte eversum; quae tamen calamitas non valuit reprimere praeclaram Mediolanensium industriam, adeo ut domus Dei sarta tecta in pristinum splendorem sit restituta. Iamvero, decem expletis lustris a quo, in voti perfectionem Conventus Eucharistici ex Italia, anno MDCCCXCIV Augustae Taurinorum habiti, Ecclesia coepta est celebrari, die VIII mensis Octobris huiusce Anni Sacri, a Venerabili Fratre Nostro Adeodato Ioanne Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Piazza, Episcopo Sabinensi et Mandelensi ac Sacrae Congregationis Consistorialis Viro a Secretis, consecrabitur summa cum caerimonia ac magnificentia rituum. Huc accedit ut eodem hoc anno memoria septies saecularis recolatur instituti Sacri Scapularis Carmelitici, cuius e religione tot munera superna, exundantis fluminis instar, ad Christifideles dimanarunt. Ut igitur tam multiplici celebritatis materiae accommodaretur Nostrae benevolentiae testificatio, et quo populus Dei deditioribus animis ferretur in hoc Sanctissimum Sacramentum, dilectus filius hodiernus Prior Mediolanensis, Ordinis Fratrum Carmelitarum Excalceatorum, submisse Nobis supplicavit ut Ecclesiam, quam diximus, praecipuo honore condecorare dignaremur, Basilicam Minorem eam renuntiantes. Nos autem, in huiusce faustitatis partem gratulabundi venire percupientes atque primum ac potissimum rati ad tam Augusti Mysterii cultum filios Nostros impensius provocare, votis eiusmodi, Dilecti Filii Nostri Alafridi Ildelphonsi Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis Schuster, Mediolanensis Archiepiscopi, nec non memorati Venerabilis Fratris Nostri Adeodati Ioannis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Piazza, Ordinis, de quo supra, Patroni seu Protectoris, amplissimo commendationis officio suffultis, libentissime statuimus obsecundare. Quapropter, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, omnibus rei momentis attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam « Corpus Domini » appellatam atque in urbe et Archidioecesi Mediolanensi exstantem, titulo ac dignitate *Basilicae Minoris* exornamus, omnibus cum iuribus ac privilegiis liturgicis, quae Ecclesiis itidem insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sor-

tiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die XX mensis Septembris, anno MCML, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

III

VENERABILIS DEI FAMULUS ALBERICUS CRESCITELLI, SACERDOS ET MARTYR, BEATUS RENUNTIATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — « Quasi semine sanguinis impleta est Martyribus terra et de illo semine seges surrexit Ecclesiae ». Quodsi haec verba Sancti Augustini, Doctoris inclyti, (*Sermo* CCLXXXVI, 4) de antiquiore aetate, « quando opprobrium erat esse christianum » (*ibid.*), recte sunt dicta, ad horum procellam temporum eadem non setius videntur transferenda. Instat iterum atque urget vis inimicorum nominis Catholici, rursus purpuratur tellus cruore Martyrum, pulcherrima refert Ecclesia victrix tropaea; quo magis deprimitur, eo altius assurgit, quo saevius laceratur, eo gloriosius triumphat. Atque rutilo agmini eorum, qui laureati obtinent Paradisi semper amoena virentia, iuvat Nos hodie annumerare sacri Evangelii in Sinis praeconem, Albericum Crescitelli, qui sanguinem profundit, ut viveret cum Christo. Hic Altavillae in Hirpinis die trigesima mensis Iunii, anno millesimo octingentesimo sexagesimo tertio, limina lucis iniit, quartus ex undecim filiis Beniamin Crescitelli ac Dignae Bruno, qui, vitae rationibus non desides consulentes, summum vero bonum in domesticis virtutibus ponebant. Infanti, baptismate sancto die secunda mensis Iulii rite abluto, cum esset tenui valetudine, parentes solliciti vires addere studuerunt eundemque, paulum praecipitem in iram, assuefacere huic ipsi moderari. Patris voluntati morem gerens, Albericus, e ludo atque pueritiae disciplina profectus, in praediis colendis operae plurimum consumebat; quibus officiis licet a litteris

honestisque artibus devocaretur, tamen sacerdos Ioannes Fischetti exstitit ei tempore subsicivo princeps ad suscipiendam et ingrediendam quandam rationem studiorum. Cum esset ad pietatem admodum compositus, cotidie Sacrificii Eucharistici causa aderat in Ecclesia, Sacramenta, quibus ad sanctitudinem provehitur mortalis, saepius sumebat et, rectum iter vitae ipse insistens, aequales, ad doctrinam christianam duriores vel male moratos, erudiebat et cohortabatur, haud dubie praemonstrans, qualis futurus fuerit sacerdos religionis finibus propagandis. Quindecim annos natus, cum superno quodam afflatu ad altaris ministerium se sentiret inclinatum atque ad infideles percuperet veritatis nuntium deferre, Pontificium Seminarium a Sanctis Apostolis Petro et Paulo pro missionibus ad exteras gentes Romae intravit. Ibi iuncta sibi studia sedulo exercuit, non tamen praetermittens quin divinis rebus deserviret iisdemque excoleret vitam. Dum autem in hoc versatur recessu, allatum est ad eum de inopinata morte patris et sororis, qui, in loco « Casamicciola » valetudini operam dantes, terra subito motu concussa, interierant oppressi ruina; maerore ac luctu nequaquam perditus, Albericus primum ac potissimum habuit magno et aequo animo Dei obsequi voluntati. Propter virtutem et ingenium apud Moderatores gratiosus, die quarta mensis Iunii, anno millesimo octingentesimo octogesimo septimo, grave tandem occepit munus sacerdotale sacrisque postridie piissime est operatus. Cum igitur ad naturam illustrem accessisset ratio conformatioque doctrinae nec non religio ac sanctimonia, presbyter novensilis ab omni re paratus erat et instructus ad verae gloriae certamen. Qui Praesulum iussu prima autumnitate eiusdem anni ad Sinenses erat profecturus, antea domum repetiit ut necessariis supremum vale diceret. Attamen mense Septembri in patrium oppidum quasi exitiabilis pestis incidit cholera morbus, quo plures incolae absumpti sunt. Albericus, Superiorum concessu, diutius ibi permansit, ut, die noctuque discursans, aegritudine conflictatis adesset, animam agentibus praeberet solacia christiana, communem sublevaret tristitiam. Depulso letifero morbo, Albericum praecipua laude tulerunt municipes, quin ipse a publicis officiis muneribusque Italiae Administer de civium salute bene meritum nomismate donavit. Die trigesima prima mensis Octobris, eodem anno, ante lucem Altavilla abscedens, intrepidus miles Christi a matris complexu se divellit, quae, nimium dolorem in lacrimas effundens, his verbis iussit filium valere: « Sospitet te Mater Maria »! Admissione et alloquio Leonis PP. XIII, fel. rec., Decessoris Nostri, dignatus, die septima mensis Aprilis, anno millesimo octingentesimo duodenonagesimo, Roma profectus est Massiliam, unde conscen-

dit et, ad orientem versus, maris vias temptavit. Longum itineris spatium emensus, Vicariatum Apostolicum *Shensi* meridiani, quem Hanciomensem dioecesim hodie appellant, attigit, scilicet ingressus est stadium, in quo, praepete raptus cursu, palmam ferret immortalem. Ad Sinensium mores, quibus ii ab aliarum gentium institutis multum dissentiunt, se conformans, ipsorum etiam se dedidit sermoni. Pro eo, quo erat inflammatus, studio animarum, oppida vel in plano vel editis in montibus sita lustrans, non solum iis, qui christianos se iam profitebantur, vigilem impendebat curam, sed nihil etiam omittebat inexpertum, ut e tenebris, quibus omnia fere circum nigricabant, quam plurimos posset eriperet et ad lumen perduceret veritatis. Profecto, quamvis angustiis pecuniae, caritate annonae aliisque premeretur difficultatibus, duodecim annis, quibus in illa regione vitae usura fruebatur, multas oves vocavit in perfugium salutis. In loco *Hanyangpin,* montibus circumiecto, Ecclesiam aedificavit quasi propugnaculum Fidei, quo ad Evangelium in continentem plagam, religionis Catholicae expertem, vulgandum uteretur. Expositos infantes et e parentibus gentilibus natos omnibus studiis suis complectebatur atque extremam populi famem sustentabat paupertatis suae subsidiis. Hoc vero opus missionale, eo quod erat animo demisso atque verecundo, integer vitae, Praesuli admodum subiectus et obnoxius, in divinarum rerum meditatione defixus, multus in sacris officiis piisque precibus, peculiari observantia in Beatam Mariam Virginem insignis, perquam auxit et ornavit. Anno millesimo nongentesimo, Antistitis sui mandatu, in regionem *Ningkiang* se contulit, in qua crucis nobile vexillum nondum videbatur infixum et homines immites, superstitione imbuti occultisque impliciti factionibus, degebant. Cum autem divini verbi non defatigatus sator amplum ibi exciperet fructum laborum suorum, quorundam christianis adversantium collegit invidiam, quam bonus pastor noluit declinare, ne ovium commodis deesset. Acrius exarsit incendium, postquam *Tse-Hsi,* Sinarum vafro et multiplici ingenio imperatrix, coniurationi eorum, quos *Boxers* dicunt, favens, die prima mensis Iulii, anno millesimo nongentesimo, edictum proposuit de advenis Europaeis extrudendis evertendaque Fide Catholica. Societas coitur, statuitur mors in eum, qui vitam attulit fratribus. Struit insidias odium vesanum et aucupatur tempus. Albericus, alienae potius quam suae studiosus salutis, in vicum *Yanpinkwan* aufugiens, fraude portitoris, ut ferunt, compellitur in plagam. Sauciatum gladio efferata saevities candelis ardentibus adurit, pie Christo supplicantem ludificat lasciva protervitas. Rogat amicum, sui immemor, male mulcatus, ut alio transferatur, ne ob sui caedem multentur oppidani. Non tamen amovetur; et producit crudelitas vitam,

cui mortem simultas maturavit. Ligatum denique pedibus per callem stratum silice raptant ad flumen. Ibi die vicesima prima mensis Iulii, anno millesimo nongentesimo, haud procul a pago *Yentsepien,* insons sacerdos trucidatur, inseritur caelo iuvenis athleta Christi, triumphali corona decorus. At non expletur immanitas facinore patrato. Nam, capite abscisso, dissecatur corpus et, sepulcri carens honore, in praeterlabentem proicitur fluvium. Quoniam vero, ut ait Sanctus Hieronymus, « non moritur, quisquis sic victurus occiditur » (*Epist.* I, *ad Innocent.*), tanta virtus et pro Fide toleratum supplicium e sodalium atque populi memoria non exciderunt. Quocirca, processu ordinario confecto, de Servi Dei Alberici Crescitelli martyrio atque martyrii causa apud Sacram Rituum Congregationem acta est quaestio. Commissionem autem Introductionis Causae de eodem Famulo Dei Beatis Caelitibus accensendo Pius PP. XI, fel. mem., Decessor Noster, die vicesima prima mensis Decembris, anno millesimo nongentesimo vicesimo septimo sua signavit manu. Absolutis deinde omnibus, quae iuxta sacri fori illius instituta cognoscenda fuerant atque pertractanda, coactisque de more Comitiis, Nos, decreto die quinta mensis Martii, anno millesimo nongentesimo quinquagesimo, expedito, de eiusdem Venerabilis Alberici Crescitelli martyrio atque martyrii causa ita manifesto constare ediximus, ut, concessa a signis seu miraculis omnique alia opportuna dispensatione, ad reliqua pergi potuerit. Id unum superfuit discutiendum, utrum, stante approbatione martyrii martyriique causae necnon dispensatione a signis seu miraculis, tuto procedi posset ad sollemnem eiusdem Servi Dei Beatificationem. Quod dubium propositum est a Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis tum Praefecto atque Causae Ponente seu Relatore, in Generali Congregatione die octava mensis Augusti, anno, quem supra diximus, coram Nobis celebrata; omnesque, qui aderant, cum Cardinales sacris tuendis Ritibus praepositi tum Praelati Officiales Patresque Consultores cunctis sententiis id affirmarunt. Nos tamen pro rei magnitudine et momento distulimus mentem aperire, ut caeleste auxilium impensis precibus ad Deum admotis Nobis pararemus. Itaque die tandem tertia mensis Septembris, eodem anno, postquam Divina Hostia litavimus, accitis Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Causae Relatore, Venerabili Fratre Alfonso Carinci, Seleuciensi in Isauria titulo Archiepiscopo et Sacrae Rituum Congregationis Viro a secretis, atque dilecto filio Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, ad Venerabilis Alberici Crescitelli sollemnem Beatificationem *tuto* procedi posse declaravimus. Quae cum ita sint, Nos, vota Instituti Pontificii a

Sanctis Apostolis Petro et Paulo et a Sanctis Ambrosio et Carolo pro missionibus ad exteras gentes nec non Cristifidelium ex Italia atque Sinis implentes, Apostolica Nostra auctoritate, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, facultatem facimus, ut Venerabilis Dei Servus Albericus Crescitelli, Martyr, *Beati* nomine in posterum nuncupetur, eiusque reliquiae, si exstent, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae Christifidelium venerationi proponantur, atque ut eiusdem Imagines radiis decorentur. Praeterea, eadem Nostra auctoritate, concedimus, ut de illo recitetur quotannis Officium de Communi unius Martyris cum Lectionibus propriis per Nos approbatis, et Missa pariter de eodem Communi cum Orationibus propriis approbatis celebretur, iuxta Breviarii et Missalis Romani rubricas. Eiusmodi vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat largimur in Archidioecesi Beneventana, intra cuius fines Beatus ipse ortus est, atque in dioecesi Hanciomensi, ubi, martyrio coronatus, e vita migravit, itemque in omnibus templis ac sacellis, ubique terrarum sitis, quibus Institutum Pontificium a Sanctis Apostolis Petro et Paulo et a Sanctis Ambrosio et Carolo pro missionibus ad exteras gentes utitur, ab omnibus fidelibus, qui horas canonicas recitare teneantur, et, quod ad Missas attinet, a sacerdotibus omnibus, ad templa seu sacella, in quibus Beati ipsius festum agatur, convenientibus. Denique largimur, ut sollemnia Beatificationis eiusdem Famuli Dei, servatis servandis, in praedictis dioecesibus ac templis seu sacellis, die legitima auctoritate designanda, celebrentur, intra annum postquam sollemnia eadem in Sacrosancta Patriarchali Basilica Vaticana fuerint peracta. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis nec non Decretis de non cultu editis ceterisque quibuslibet contrariis. Volumus autem, ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, dummodo manu Secretarii Sacrae Rituum Congregationis subscripta sint atque eiusdem Congregationis sigillo munita, etiam in iudicialibus disceptationibus, eadem prorsus fides adhibeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce ostensis Litteris, haberetur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Februarii, Dominica II in Quadragesima, anno MCMLI, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis.

EPISTULA

AD EM̃UM P. D. IULIUM TIT. SANCTAE PUDENTIANAE S. R. E. PRESB. CARDINALEM SALIÈGE, ARCHIEPISCOPUM TOLOSANUM, NARBONENSEM, CONVENARUM ET RIVENSEM, QUINA LUSTRA EPISCOPATUS IMPLENTEM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Tibi decem ab inito sacerdotio lustra quinquennio ante feliciter celebranti gratulationes Nostras laetanti quidem animo publice declaravimus, bene multa eaque egregia erga Ecclesiam merita Ipsi memorantes, quae sacro ac pastorali munere tam diu sollerterque peracto tibi comparaveras. Nunc vero, quinto ac vicesimo episcopatus tui natali imminente, nova oblata occasione libenter utimur, ut tuae communique tuorum laetitiae fervidis votis Nostris cumulum plane afferamus. Tibi igitur, Dilecte Fili Noster, de proxima faustitate deque octogesimo aetatis anno recens expleto libentissime gratulamur copiamque donorum caelestium a Deo liberalissimo adprecamur. Quo autem pergrati eventus commemoratio maiores salutis fructus populo tuo afferre queat, facultatem ultro tribuimus, ut, statuta die, ipse per te vel per alium, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, suetis Ecclesiae condicionibus lucrandam. Fervida denique omina, quae Nobis, adveniente sollemni Nativitatis Domini die, reverenter per litteras detulisti, tibi ex animo rependentes, in auspicium caelestium gratiarum inque peculiaris amoris Nostri testimonium, Apostolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili Noster, cunctoque clero fidelibusque tuae curae demandatis amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXI mensis Decembris, anno MDCCCCL, Pontificatus Nostri duodecimo.

PIUS PP. XII

ALLOCUTIONES

I

*Ad christifideles qui Romae convenerant ad beatificationem Servi Dei Alberici Crescitelli, Martyris.**

Or sono poco più di quattro anni, Noi celebravamo la glorificazione dei ventinove martiri della grande persecuzione, che insanguinò la Cina al principio di questo secolo. Ed oggi eccone uno nuovo, in attesa che ben altri ancora, se così piacerà al Signore, siano elevati agli onori degli altari.

Ammirabile nella celeste processione, la falange dei martiri dalle vesti purificate nel sangue dell'Agnello e risplendenti di luce, si avanza cantando le lodi di Dio. *Te Martyrum candidatus laudat exercitus.* I metalli infinitamente vari delle loro migliaia di voci si armonizzano in un coro incomparabile. Poichè tutti quelli, che portano nelle loro mani la palma dei vincitori, se differiscono tra di loro, come una stella del firmamento si distingue dalle altre in chiarezza, hanno nondimeno comune la straordinaria generosità nel corrispondere alla grazia eccezionalmente insigne di Cristo, crocifisso e vittorioso con la sua morte.

Avviene talvolta — la storia della Chiesa ne presenta ben rari esempi — che questa grazia e questa generosità si rivelino tutt'a un tratto, in una conversione improvvisa, che ha del miracolo e sconcerta le corte vedute umane. Ma nella maggior parte dei casi il martirio non è che il coronamento di una intiera vita di eroismo quotidiano e di continua conformità al divino volere. Spesso la biografia dei martiri, che precede e prepara il glorioso epilogo, colpisce di ammirazione coloro, che ne furono i testimoni o ne sono i lettori. Altre volte invece la grandezza e la santità di tutta una vita non si palesano che all'osservatore attento; esse non offrono alla curiosità tratti impressionanti, ma non sono per ciò meno fulgide nella loro modesta e discreta semplicità. Tale Ci sembra essere il caso di Alberico Crescitelli.

Egli si è dato a Dio e alle anime, e si è dato interamente, per sempre, senza esitazione, come senza riserva. Ecco il segreto del suo eroico allenamento alla vittoria suprema. Per darsi completamente, ha rinunziato a tutto.

Non parliamo della rinunzia al benessere materiale, agli agi della vita, alle pretese dell'amor proprio. Anche un'anima grande può sen-

* Habita die 19 Februarii mensis a. 1951.

tire naturale inclinazione a simili allettamenti, ma essa li disprezza, e la vita del missionario è tutta intessuta di privazioni, insopportabili per i mediocri. Alcune infermità rendono al novello Beato particolarmente faticosi e dolorosi i viaggi a cavallo, soprattutto per strade impraticabili, interrotte da torrenti, affossate dalle piogge, nel rigore dell'inverno o nel calore torrido dell'estate. Sfinito al termine della lunga via, si stima anche troppo felice di trovare un tugurio miserabile, ripugnante d'immondizia, insalubre, senza un cantuccio tranquillo ove dormire in pace. « Il missionario, egli afferma, deve essere pronto a tutto, pur di ottenere il suo scopo, la conversione degl'infedeli. Coraggio dunque e all'opera, senza punto badare alle comodità personali ».

Egli rinunzia anche alle soddisfazioni e alle consolazioni del cuore, a tutto ciò che vi è di puramente naturale nelle sante affezioni della famiglia. Quale generosità, ma al tempo stesso di quale tatto e di quale delicatezza egli dà prova! Spesso scrive a coloro che ha lasciati in patria; in tutta la sua corrispondenza egli mostra un ottimismo, una tranquillità inalterabile, anche nelle ore in cui la croce di tutti i giorni si fa più pesante, la fame più attanagliante, il pericolo più grave, senza tuttavia far sorgere o alimentare nei suoi cari una illusione che diminuirebbe il loro merito nel sacrificio. « State di buon animo, egli ripete loro, non siate in pensiero per me. Io sono nelle mani di Dio e mi trovo contento ». Nulla di duro, nulla di stoico nelle sue maniere; egli sente vivamente e profondamente, ma è magnanimo e vuole comunicare la sua generosità a coloro che ama, elevandoli alla sua altezza.

Più che ai suoi sensi e al suo corpo, più che alla sua vita, più che al suo stesso cuore, l'uomo è ordinariamente attaccato al proprio giudizio, alla propria volontà. Anche a questa però il novello Beato rinunzia, a tal punto che in tutte le cose egli si rimette al volere del suo Vescovo e dei suoi Superiori. In ogni congiuntura li interroga per conformarsi in tutto al loro avviso e alle loro intenzioni, tanto che a prima vista potrebbe sembrare che egli manchi di idee e di propositi personali. Potrebbe sembrare; ma in realtà come s'ingannerebbe chi lo giudicasse così! Dal principio della sua vita sacerdotale sino alla fine, sino all'ora del martirio, egli sa dare prove di una risoluzione pronta, senza esitanza, ferma, senza secondi fini, nè rammarico, nè debolezze. Allorchè viene a far visita a sua madre come sacerdote novello e a congedarsi da lei come missionario, mentre è sul punto di lasciare per sempre il luogo nativo, scoppia improvviso il colera. Senza riposo nè tregua, noncurante del grave pericolo di contagio, egli si dedica tutto al servizio dei colerosi. Ma, appena cessata la epidemia, nulla può più trattenerlo.

Missionario, egli rivendica con indomabile energia ai cristiani il diritto di ricevere, come i pagani, una parte eguale nella distribuzione del riso, in tempo di carestia. Poco a lui importano le inimicizie, che si attira con la sua fermezza. No, Alberico Crescitelli non è un debole, un irresoluto, un passivo; egli è obbediente, e solo i forti sono capaci di esser tali con fedeltà e a costo di qualsiasi sofferenza.

Sarebbe però follia di rinunciare a tutto e a se stesso, per lasciare poi come deserto ciò che si abbandona; non si fa, non si ha il diritto di farlo, che per un più grande e più santo amore. Voi ben lo sapete, diletti figli dell'Istituto delle Missioni estere. Per amore di Dio, per amore delle anime, il vostro Confratello si è staccato da tutto e da sè stesso. Questo distacco e questo motivo sono evidentemente comuni a tutti i veri apostoli; ma questo amore ha vari gradi secondo il temperamento e il carattere, secondo i doni naturali e soprannaturali di ciascuno. Quello, che anima il vostro Beato verso Dio, è calmo e forte; una espressione, a lui familiare, e che egli ripete in varie forme, lo rivela: « Chi si espone a certi pericoli, sa quel che fa; egli mette la sua vita nelle mani di Dio, Signore della vita e della morte ». Nelle mani di Dio! È il suo grande pensiero, il pensiero permanente e dominante, che trasparisce così spesso nelle sue parole e nei suoi scritti.

Quanto al suo amore per le anime, per tutte le anime, ma particolarmente per quelle che l'obbedienza ha affidate alle sue cure personali, tutta la sua attività di missionario ne porta l'impronta: fare e rinnovare ogni giorno il dono della propria vita per esse; affrontare tutte le fatiche, tutte le pene, tutte le sofferenze, tutti i pericoli, senza risparmiarsi; farsi tutto a tutti: ecco il suo programma, la sua storia. Un tratto lo dipinge esattamente, come uomo e come missionario: l'interesse che egli prova e manifesta per tutto ciò che riguarda i suoi cinesi del Shen-si. Egli ha avuto dalla natura un dono singolare di osservazione; avverte tutto, il paese, gli usi, i costumi, il carattere, e ha l'arte di comunicare agli altri le sue note e i suoi studi di ordine scientifico, artistico, pratico. Le sue lettere alla madre contengono talvolta minuti particolari della economia domestica.

In uno spirito così ben dotato l'osservazione desta l'interesse, che è un aspetto dell'amore, e l'interesse alla sua volta stimola l'osservazione. Questa poi lo aiuta anche nel suo ministero apostolico; gli serve a procurare il bene materiale, e indirettamente anche quello spirituale dei suoi cari cinesi. Egli stesso esprime questo pensiero al principio di un suo studio sulla coltivazione del riso. « Non sembri strano, egli scrive, che un missionario si occupi di agricoltura. Certo non si dirà che sia

contrario all'apostolico ministero conoscere l'indole del popolo, cui si deve annunziare la buona novella. Cercare di conoscere e far vedere di interessarsi di ciò che più interessa, sembrami anzi uno dei modi di farsi tutto a tutti ».

Egli è passato così, amando e facendo il bene; meritava quindi di ricevere la grande ricompensa di coloro che hanno donato la loro vita per amore: il martirio che consuma e corona questo dono.

Il suo fu, umanamente parlando, orribile, uno forse dei più atroci che la storia ricordi. Nulla è mancato, nè la crudeltà dei tormenti, nè la loro durata, nè le umiliazioni più barbare, nè le sofferenze del cuore, nè i tradimenti ipocriti di falsi amici, nè i clamori ostili e minacciosi dei sicari, nè l'oscurità dell'abbandono!

Un mezzo secolo è trascorso. Da allora il martire gode la sua ricompensa presso Dio, nella beatitudine e nella gloria; ma come questo stesso mezzo secolo è stato terribile per quel caro popolo, già in tante maniere provato!

Nel cielo, intorno al trono dell'Agnello immolato, la voce del nostro Beato, congiunta a quella di tanti altri martiri sacrificati nella medesima persecuzione, sale supplichevole verso il Giudice sovrano: — *Domine, ne statuas illis hoc peccatum!* [1] Noi abbiamo dato (essi esclamano) volentieri per loro la nostra vita fino alla morte, in segno del nostro grande amore. Il nostro sangue, dopo i nostri sudori e le nostre lacrime, è scorso su quella terra; che esso non la lasci sterile, ma copiosamente la fecondi! *Sanguis martyrum semen!* —

La Nostra voce e le vostre, diletti figli, si uniscano alle loro per attirare su quella Nazione, per la intercessione della Regina dei martiri, doni di luce e di grazia. E che su tutti gli apostoli della Cina, sul vostro Istituto in particolare, scendano abbondanti i favori celesti, in pegno dei quali Noi impartiamo di cuore a voi, a tutti i vostri confratelli, a tutti coloro per cui voi pregate, lavorate e soffrite, la Nostra Apostolica Benedizione.

[1] *Act.* 7, 59.

II

*Ad Excmum Virum Carolum Sommaruga, Reipublicae Liberiae Legatum extra ordinem liberis cum mandatis, Summo Pontifici Litteras publicas porrigentem.**

Mr. Minister!

The solemn presentation of the Letters of Credence by the terms of which His Excellency, the President of the Republic of Liberia, after the retirement of your worthy Predecessor, appoints you to the post of Envoy Extraordinary and Minister Plenipotentiary to the Holy See, has provided Your Excellency with an occasion for the expression of convictions which cannot but claim Our fullest attention and warrant Our hearty assent.

Your reference to the fact that the Free and Sovereign Republic of Liberia is intent on taking its place among the Christian nations makes plain Your Excellency's persuasion that genuine belief in God, the profession of Christian truth and fidelity to the fundamental tenets of the Catholic faith are indissolubly bound up with the sincere and constant assertion of human nature's most authentic and exalted values.

At the outset of your noble mission Your Excellency quite properly gives emphasis to a basic truth which is often forgotten, and oftener perhaps deliberately buried in silence, especially to-day when far too frequently the border-lines dividing truth from error are dimmed and confused, with ensuing harm to the community no less than to individuals.

True religion and profound humaneness are not rivals. They are sisters.

They have nothing to fear from one another, but everything to gain. Let each remain loyal to the law of its being, while it respects the vital needs and varied outward manifestations of the other, and the resultant harmonizing of two forces will endow any people engaged in the fulfillment of its appointed tasks with the most valuable incentives to real prosperity and solid progress.

For sundry reasons, familiar to anyone acquainted with the history of Liberia, the number of Catholics there is still relatively small. All the more gratifying, then, is the fact that they have been able — thanks largely to their achievement in the field of education and of charity —

* Habita die 28 Februarii mensis a. 1951.

to gain the esteem and confidence of their countrymen of different beliefs, as also the good will of the civil authorities.

We cherish, therefore, the fond hope — relying above all on the enlightenment and fairness of the President of the Republic — that the membership and organizations of the Catholic portion of the Liberian people may continue to be guaranteed that freedom of movement and action to which they are entitled.

Our beloved Catholic sons and daughters will surely know how to appreciate and make use of their acknowledged liberty with dignity and alertness to their responsibilities.

They will feel themselves honoured to turn to the advantage of their native land, so dear to Us as well, the full measure of that well-being and cultural and social progress born of a sound accord between the religious conscience and the national ideals of a people which, like that you represent, has behind it a past that still is young, and a future so so boundless before it.

With these sentiments We pray you, Mr. Minister, to transmit to His Excellency, the President, to the members of the Government and to all the dear people of Liberia, Our greetings and best wishes for their happy and peaceful development, the while We invoke upon them all, and in particular upon your Excellency, favours in rich abundance from on High.

NUNTIUS RADIOPHONICUS

CHRISTIFIDELIBUS DATUS, OB PRIMUM CONVENTUM EUCHARISTICUM E TOTA NATIONE LITORIS AUREI, IN URBE KUMASI COADUNATIS.*

Venerable Brothers and dearly beloved of Africa, Our heart fills with an unwonted joy as We reflect that Our voice is reaching the tens of thousands of Our devoted children of the Gold Coast gathered together for the first Eucharistc Congress of that region, presided over by Our worthy Legate. Science forges a new link that unites the tomb of the chief of the apostles with your own St. Peter's that rises beautiful and majestic in historic Kumasi.

More than beautiful, your cathedral is eloquent; and what a thrilling story it tells of God's incessant love, of missionary zeal undaunted and unquenchable, from the days when the first members of the Society of African Missions prepared the field for the erection of a Vicariate Apo-

* Die 25 Februarii mensis a. 1951.

stolic just fifty years ago to the ever memorable year of jubilee, when it was Our privilege and consolation to erect the Hierarchy of British West Africa. Heroes in the faith have made possible the Congress of today. The Redeemer of the world hanging on the cross of Golgotha claimed your service and your souls; and aroused by this divine love brave priests and intrepid virgins consecrated to God went out from Europe to bring the glad tidings of salvation to the Gold Coast. All too brief was the calendar of their missionary life; yet others came to take their place and for many years they too followed to an early grave. Today from heaven their spirits join you in your paean of praise and thanksgiving to the God of all nations who has enriched you with the priceless gift of faith and hope of eternal life.

Oh that faith, beloved children, it is that faith that links you most closely and unbreakably with the See of Peter and the Vicar of Christ on earth. It is the faith first preached by the apostles who were chosen by the divine Master Himself; it is the faith that Cyprian and Augustine defended, undying luminaries of Catholic Africa; for that faith the martyrs died in the Roman arena and on the pyre of Uganda; its credo, one and the same re-echoes beneath the vaulted ceilings of the central basilica here of Catholicity, fills the vast spaces of your cathedral and is heard no less clearly though in softer accents in the poorest village chapel. Today you are professing your faith especially in the Holy Eucharist, — sacrament most holy, sacrament divine — and you offer it the homage of your adoration. As the Sacred Host is raised on high in Mass or lifted aloft in jewelled ostensorium to bless you, your hearts cry out with the apostle Thomas: my Lord, my God; and you know that your act of faith is shared by all the Catholics throughout the world.

But when you receive Holy Communion and the Lamb of God becomes the food of your soul, oh then is union made perfect. « Is not the bread we break a participation in Christ's Body? » St. Paul writes. [1] « Though we are many in number, we are one bread, one body, for the same bread is shared by all »; and « the effect of partaking of the Body and Blood of Christ is none other than to be transformed into Him whom we receive ». [2] « He is one, we are many; He is one and we are one in Him ».[3] « We are one because Christ is one and we are his mem-

[1] 1 *Cor.* 10, 16.

[2] S. Leo Magn., *Serm.* 63; Migne *P. L.* t. 54, col. 357.

[3] S. Aug., *In Ps.* 88; Migne *P. L.* t. 37, col. 1124.

bers ». [4] « Do not say that He is one and we are many, but say that though we are many, we are one in Him, who is one ». [5] That is what the Catholics of Africa heard from their most illustrious teacher St. Augustine more than fifteen centuries ago, and his words come down to you with meaning unchanged, because they express eternal truth.

Dearly beloved children, you are hoping and praying that the Eucharistic Congress, sponsored with such apostolic zeal and wisdom by your revered archbishop, may bring many blessings to the Gold Coast and its people. We pray that your hope many be realised, and We like to contemplate the Church of British West Africa moving forward from the never-to-be-forgotten festivities of this Eucharistic week as a compact body, conscious of their mutual union in Christ Jesus, obedient under the spiritual guidance of their bishops, ready and eager to make their full contribution to the development, prosperity and peace of their dear country.

Through wise administration directed by the gracious rule of his Majesty King George, and the generous, loyal cooperation of Nana Asantahene, your country has gained an enviable maturity and is now entering upon a new era of its political life. It will need the enlightened and unselfish civic devotion of all its citizens, if it is to reach the goal, alone worthy of it, of social justice for all classes, defence of family life and progress in educational facilities that will fit and inspire the rising generations to serve their God and their country with pride and unswerving fidelity. We are sure that the Catholics of the Gold Coast will be second to none in furthering realization of these noble aims.

Assuring you, Venerable Brothers, the right honourable civil authorities and Our dear Catholics of the Gold Coast of Our deep interest in the welfare of the peoples of British West Africa, with fatherly affection We impart to all present and to all who have taken part in any of the ceremonies of the Eucharistic Congress Our Apostolic Blessing.

[4] S. Aug., *In Ps.* 60; Migne *P. L.* t. 36, col. 724.

[5] S. Aug., *In Ps.* 127; Migne *P. L.* t. 37, col. 1769.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

DECLARATIO

Plures abhinc menses in Republica Cecoslovacha multis iisque inauditis modis in Ecclesiae iura invasum est et in ipsas ecclesiasticas personas inique est impetitum: Ordinarii etenim locorum a suis muneribus impediti sunt; eorum pastoralia iura usurpata; ipsa officia Curiarum seu Ordinariatuum necnon beneficia ecclesiastica intrusis quibusdam personis sunt collata, laicorum arbitrio sese dioecesium regimini immiscere praesumentium.

Multis insuper Clericis et Religiosis libertas adempta est; nonnulli Episcopi, impio ausu, ad iudicem laicum tracti et in vincula sunt coniecti.

Novissime autem Pragensis Metropolita Excellentissimus P. D. Iosephus Beran, iamdiu captivus in aedibus episcopalibus detentus et ab exercitio iurisdictionis penitus impeditus, nequissime deportatus est a sua Sede et Archidioecesi.

Contra patrantes huiuscemodi delicta plures extant Sacri Canones, quibus ii omnes excommunicatione, pro casuum varietate, simpliciter vel speciali modo Apostolicae Sedi reservata, ipso facto incurrenda, plectuntur:

a) qui ad iudicem laicum traxerint Episcopum (Can. 2341);

b) qui violentas manus in personam Archiepiscopi vel Episcopi iniecerint (Can. 2343 § 3);

c) qui directe vel indirecte impediverint exercitium iurisdictionis ecclesiasticae, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem (Can. 2334 n. 2);

d) qui contra legitimas ecclesiasticas Auctoritates machinantur aut earum potestatem quomodocumque conantur subvertere (Decr. S. C. Concilii diei 29 Iunii 1950: A. A. S., Vol. XXXXII, anno 1950, pag. 601);

e) qui ecclesiasticum officium vel beneficium vel dignitatem sine institutione vel provisione canonica, ad normam Ss. Canonum facta, occupant vel in eadem sinunt illegitime immitti, vel eadem retinent (ibidem).

Proinde Sacra Congregatio Consistorialis declarat illos omnes, qui ad memorata delicta patranda vel physice vel moraliter concurrerint, aut eorumdem participes, ad normam Can. 2209 §§ 1-3, fuerint, excommunicationes supra relatas incurrisse eisque subiectos permansuros donec ab Apostolica Sede absolutionem obtinuerint.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 17 Martii 1951.

✠ Fr. A. I. Card. PIAZZA, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis.*

L. ✠ S.

I. FERRETTO, *Adsessor.*

II

PROVISIO ECCLESIARUM

Ssmus D. N. Pius Divina Providentia Pp. XII, successivis Decretis Sacrae Congregationis Consistorialis singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum :

die 20 Ianuarii 1951. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Beroeensi praefecit Exc. P. D. Eduardum Myers, hactenus Episcopum Titularem Lamenum et Auxiliarem Emi P. D. Bernardi S. R. E. Cardinalis Griffin, Archiepiscopi Westmonasteriensis, quem constituit Coadiutorem « sedi datum » Westmonasteriensem.

die 27 Ianuarii 1951. — Cathedrali Ecclesiae Loidensi R. D. Ioannem Heenan, e dioecesi Brentwoodensi, moderatorem Societatis Missionalis apud clerum saecularem in Anglia.

die 1 Februarii 1951. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Viminaciensi Exc. P. D. Septimium Peroni, hactenus Episcopum Nursinum.

die 2 Februarii 1951. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Beroënsi Exc. P. D. Pium Leonardum Navarra, hactenus Episcopum Terracinensem, Setinum et Privernensem.

die 3 Februarii 1951. — Titulari episcopali Ecclesiae Thennesiensi R. D. Augustinum D'Arco, Cubicularium intimum supra numerum Sanctitatis Suae, parochum ecclesiae S. Viti Martyris in civitate Isclana, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Friderici Emanuel, Episcopi Castri Maris.

die 5 Februarii 1951. — Titulari episcopali Ecclesiae Appiarensi R. D. Iosephum Lennox Federal, parochum ecclesiae cathedralis Raleighiensis, quem constituit Auxiliarem Exc. P. D. Duani Garrison Hunt, Episcopi Lacus Salsi.

die 7 Februarii 1951. — Titulari episcopali Ecclesiae Bassianensi R. D. Blasium Musto, Antistitem Urbanum, Vicarium Generalem Beneventanum et Professorem Theologiae dogmaticae in Pontificio Seminario Regionali Beneventano Pii XI, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Michaëlis Fontevecchia, Episcopi Aquinatensis, Sorani et Pontiscurvi.

die 8 Februarii 1951. — Cathedrali Ecclesiae Tolucensi R. D. Arthurum Vélez, parochum S. Ioseph in urbe, vulgo « Toluca ».

die 11 Februarii 1951. — Cathedrali Ecclesiae Arianensi R. D. Paschalem Venezia, Cubicularium intimum supra numerum Sanctitatis Suae, parochum ecclesiae S. Francisci Assisiensis ad viam ferream in civitate Abellinensi.

— Titulari archiepiscopali Ecclesiae Nicomediensi R. D. Franciscum Carpino, Antistitem Urbanum, professorem Theologiae Sacramentariae in Pontificio Athenaeo Lateranensi, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Ernesti Eugenii Filippi, Archiepiscopi Montis Regalis.

die 13 Februarii 1951. — Cathedrali Ecclesiae Capicensi R. D. Emanuelem Yap, Vicarium Generalem Archidioecesis Nominis Iesu et parochum in urbe, vulgo « Mandawe ».

die 17 Februarii 1591. — Titulari episcopali Ecclesiae Urusitanae Exc. P. D. Theophilum Pereira De Andrade, hactenus Episcopum Nampulensem.

die 19 Februarii 1951. — Titulari episcopali Ecclesiae Miletopolitanae R. D. Ioannem Ricote Alonso, rectorem seminarii Matritensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Leopoldi Eijo y Garay, Episcopi Matritensis.

die 20 Februarii 1951. — Titulari episcopali Ecclesiae Lundensi R. P. Ludovicum Antonium Palha, ex Ord. Fratr. Praedic., Administratorem Apostolicum Praelaturae *nullius* SSmae Conceptionis de Araguaia in Brasilia, quem constituit Praelatum *nullius* praedictae Praelaturae.

die 27 Februarii 1951. — Cathedrali Ecclesiae Pisciensi R. P. Aloisium Dinum Romoli, ex Ordine Fratrum Praedicatorum, Priorem Provincialem Sancti Marci et Sardiniae.

die 2 Martii 1951. — Metropolitanae Ecclesiae S. Germani Exc. P. D. Carolum Eugenium Parent, hactenus Episcopum titularem Dianensem.

— Cathedrali Ecclesiae Nampulensi, Exc. P. D. Emanuelem De Medeiros Guerreiro, hactenus Episcopum Sancti Thomae de Meliapor.

die 7 Martii 1951. — Coadiutorem cum iure futurae successionis Excmi P. D. Ioannis Swint, Episcopi Whelingensis, Exc. P. D. Thomam Joannem Mc Donnell, Episcopum titularem Selensem et hactenus Auxiliarem Emi P. D. Francisci S. R. E. Card. Spellman, Archiepiscopi Neo-Eboracensis.

die 13 Martii 1951. — Metropolitanae Ecclesiae Lancianensi, cui unita est Ecclesia Cathedralis Ortonensis, Exc. P. D. Benignum Lucianum Migliorini, hactenus Episcopum Reatinum.

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

DECRETUM

DE MUTATIONE NOMINUM VICARIATUUM APOSTOLICORUM

Nuper Apostolicae Sedi expostulatum est ut nomina trium Vicariatuum Apostolicorum, qui in Aegypto exstant, mutentur et nova denominatio sumatur ab urbe residentiae Ordinariorum.

Ssmus Dominus Noster Pius Divina Providentia PP. XII, habito favorabili voto Excmi Internuntii Apostolici, necnon singulorum Episcoporum trium Vicariatuum in Aegypto, referente infrascripto Cardinali a Secretis Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali in Audientia diei 27 m. Ianuarii huius anni 1951, benigne decernere dignatus est nomina praedictorum Vicariatuum Apostolicorum ita mutanda esse in posterum:

1. Vicariatus Apostolicus Alexandriae Aegypti loco antiquae dictionis Vicariatus Apostolici Aegypti;

2. Vicariatus Apostolicus Heliopolis in Aegypto loco antiquae dictionis Vicariatus Apostolici Deltae Nili;

3. Vicariatus Apostolicus Portus Saidi loco antiquae dictionis Vicariatus Apostolici Canalis Suesii.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, die XXVIII m. Ianuarii a. MCMLI.

✠ E. Card. TISSERANT, *a Secretis.*

L. ✠ S.

† V. Valeri, Archiep. tit. Ephesinus, *Adsessor.*

SACRA CONGREGATIO CONCILII

LUCERINA ET ALIARUM

MISSAE PRO EPISCOPO

Die 11 Novembris 1950

DUBIUM. — Huic Sacrae Congregationi Concilii propositum fuit dirimendum sequens dubium : « Utrum, de Episcopi mandato, Capitulum « diebus anniversariis electionis seu translationis et consecrationis eius- « dem Episcopi teneatur tantum Missam solemnem celebrare, an etiam « eam pro Episcopo applicare ».

ANIMADVERSIONES. — *Caeremoniale Episcoporum* (lib. II, cap. 35 n. 1) statuit : « Singulis annis, in diebus anniversariis electionis et consecra- « tionis Episcopi Missam solemnem, vel per ipsum Episcopum, vel per « aliquam dignitatem seu canonicum, ipso praesente, celebrari con- « venit ».

Quae convenientia, *accedente Episcopi mandato,* fit obligatio. Nam Sacra Rituum Congregatio ad dubium : « An Missa solemnis in anniver- « sariis electionis et consecrationis Episcopi sit *praeceptiva* in Cathedra- « libus et Collegiatis dioecesis, licet *Caeremoniale Episcoporum* (lib. II, « cap. 35 n. 1) solum dicat : *celebrari convenit* », die 14 Augusti 1858 in *Granaten.* N. 3078 respondit : « *Affirmative, accedente mandato Epi-* « *scopi* ». Huius Missae obligatio confirmatur in ipsis Rubricis servandis ad normam Constitutionis Apostolicae *Divino afflatu* Pii Pp. X diei 1 Novembris 1911, tit. XII (*A. A. S.*, vol. III, pag. 649).

Missae vero, de qua agitur, celebrationem, secumferre et obligationem eandem pro Episcopo applicandi eruitur ex canone 825 n. 4 Codicis Iuris Canonici: « Numquam licet... alteram recipere eleemosynam pro sola ce- « lebratione, alteram pro applicatione eiusdem Missae, nisi certo constet « unam stipem oblatam esse pro celebratione sine applicatione ». Quae exceptio certo non exstat in casu : obligatio igitur Missam pro Episcopo applicandi logice continetur in ipsa obligatione celebrandi.

